

www.e-rara.ch

**De ratione communi omnium linguarum & literarum commentarius
Theodori Bibliandri**

Bibliander, Theodor

Tiguri, an. 1548

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.116

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-22696>

Libri VII. capita.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Secunda pars.

Comprehendet origines uocum uniuersarum, cum suis deriuatiuis, compositis, & locutionum peculiarium formulis. Qua parte uideo multum interesse inter eam formam explicandi uoces quasuis, quam instituo proponere, & inter lexica & dictionarios, & commentarios Græcæ & Latinae linguæ hactenus mihi cognitos, Sunt enim qui literis alphabeti uoces compositas & deriuatas perinde atq; dictiones simplices digerunt. Quem admodum fecit Hefychius, Fauorinus, Ambrosius Calepinus, & multi alij. Quidam ordinem rerum secuti sunt, ut Iulius Pollux, ut Varro, & Nonius Marcellus in quibusdam partibus, uelut cum loca, tempora, uasa, uestimēta ordine exponuntur. Quidam ad authoris alicuius explanationē eam diligentiam adhibuerunt, ut linguæ cognoscendę opem adferrent. Id quod fecit Eustathius interpres Homerī, Nicolaus Perottus commentator Martialis, & alij quidā. Alios magis delectauit arbitrarij ordo, ut res utcunque inter se coherentes copularint. Quomodo Guiliel. Budæus linguæ Græcæ commentarios scripsit, & Stephanus Doletus Latinae linguæ. In quibus utiq; ordo est aliquis & talis, qui arguat ingenium magnū in istis uiris. Methodi tamen ordo non est. Quorum sanē uirorum ut diligentiam, & ingenium & doctrinam suscipio, & eorū laboribus fruor non sine animo gratissimo in eos, per quos quotidie proficio; ita meipsum non constituo iudicem, ut uelut Aristarchus nouus pronunciem, quid in his maxime sequendum sit. Hoc tamen nemo mihi uitio uertet, si ordinem indicauero aptissimum linguis omnibus cognoscendis, & illum quidem non à me excogitatū, sed ab alijs monstratum. Censeo enim ordinem seruatum hactenus in Ebraicæ linguæ explanatione, ut origines literarum ordine digerantur, & cuilibet origini subijcian tur ab eo deriuata & composita, & copulata, ceu propagines stirpi suæ, aptum esse omnibus linguis cognoscendis, idq; non ob unam causam. Itaq; libros huius partis secundæ, & librorum capita indicabo; deinde rationes reddam, ob quas ea methodus probetur.

LIBRI VII. CAPITA.

Quid positio, thema, origo aut radix uerborū: an uerbum an potius nomen sit prima positio. Quæ mihi quæstio lon

170 ge dignior explicatur uidetur, & utrum ouum prius sit gallina, an gallina prior sit ouo. Deinde ordine literæ & syllabæ formatiuarum per singula capita explicabuntur, obiter indicata ratione deriuatiuorum, ut uerbi gratia, qualis sit forma & significatio nominum in arius, arium, bundus, men, go, do, io, ax, tas, & reliquorū. Tum inuestigatio positionis monstrabitur per resolutionē uerborum, uelut in hoc uulgatissimo uerbo, Gaudet honorificabilitudinitatibus Hermon, aut etiam præposita uocula in, ut sit inhonorificabilitudinitatibus, omnibus syllabis formatiuis resectis, colligentur uoces tres, in, honor, facio, ex quibus uerbum est cōflatum, inter quæ primatum obtinet facio. Vbi expendere conuenit, in quas literas desinant primitiuarum uoces Latinæ linguæ, aut alterius cuiuspiam, præsertim nomina & uerba. Id quod Aristotelē non piguit inquirere. Postremo uoces quæ sunt obscuræ aut cōtrouersæ originis & compositionis, uno in loco digestæ ordine literarum proponentur, cum indicatura, cui origini adiunctæ sint, ut maximæ conuenientes. Velut quinquertio indicabitur collocari sub origine ars. Et hæc quidem generalia sunt. Ad hunc etiam locum pertinet uerborum delectus, quatenus sit utendum nouis, nouatis, prisicis, sordidis uocibus. Nam in obseruatione ista & delectu uerborum nonnulli putauerunt positum esse fundamentum eloquentiæ.

LIBRI VIII. CAPITA.

Origines autem uerborū distribui placet non ordine alphabetario, sed ut uno in libro coniungantur, quæ primas literas habent cognatas. Itaque uno in libro & quidē octauo iungentur origines, quarum prima litera est uocalis, diphthongus aut aspiratio. a æ au, e eu, i o œ u, ha hæ, hau, he hi ho hu; & reliquæ similiter.

LIBRI IX. CAPITA.

Origines, quarum prima litera est semiuocalis & liquida, l m n r s.

LIBRI X. CAPITA.

Origines, quarum prima litera est b f p ph ps.

LIBRI XI. CAPITA.

Origines, quarum prima litera est g c ch k q x.